Koślinski Alex: Conclusiones theologicae de quadruplici scientia Christi: divina, beata, infusa et acquisita.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ,

DE

Quadruplici sciẽtia Christi:

DIVINA,

BEATA,

INFVSA, &

ACQVISITA.

Disputationi expositæ à Fre ALEXANDRO KOSLINSKI *Carmelita, S. Th. Liceñ. Cracouiæ Anno* 1626. *Feria* 3. *Paschatis, Hora* 19. *in ædibus B. M. Virg. de Arenis.*



CRACOVIÆ,

Typis Matthiæ Andreouiensis.

IN STEMMA.



DIc mihi quid ſibi vult decus hoc inſigne, quod inter
    Admiror lunas cor rutilare duas.
Mucrone? num Crux eſt? vtrumque: fidelibus ex hoc
    Spes veniæ, miſeris mors venit hæreticis.
Cornibus obuerſis quid duplex Cynthia monſtrat?
    Promittit Fidei cælitus auxilium.
SZYSZKOVI vigila, Crucis & mucrone triumpha,
    Nam hoc terris victor ſidera certus habes.

ILLVSTRISS. & REVEREN-
dissimo Principi ac Domino,

D. MARTINO SZYSZKOWSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopo Cracouien. Duci Seueriensi. &c.

Patrono suo Clementissimo,

Fr. ALEXANDER KOSLINSKI Carmelita, S. Th. Liceñ P. F.



Vi mundi tam elementaris, quam ætherei cognitionē inquirunt, terræq; situm Cælestibus circulis discriminant, tradunt ILLVSTR: & REVEREN: PRINCEPS eos qui ad polum arcticum commorantur, tempore hyemis lumine solari destitutos ad lunæ radios omnia explorare. Quàm diu in hac miseriarum valle viuimus sub arcto quodam modò constituti sumus, sol æternæ iustitiæ sicuti est non se manifestat nobis.

Vnde si aliquam perfectionem ipsius voluerimus inuestigare, per ænigmata, & ad lunæ aspectum id debebimus præstare. Huius ego non ignarus, de quadruplici cognitione Christi Dei sermonem concertatorium habiturus, ad lunas Celsit. T. vt Stemmate, natalibus, & familiæ nobilitate; ita mira eruditione, summa prudentia, rarissima in suppeditãdis consilijs fælicitate, incredibili in rebus gerendis, dexteritate, maxima erga vnumquemq; clementia, & humanitate, incomparabilibus erga patriam & Ecclesiam Christi meritis, insigni erga Deum religione in nostræ Sarmatiæ cælo fulgentes recurro: tum vt intra illarum splendorem sub figura crucis expressã facilius ac clariùs mihi pateat, tum vt eis hac ratione debitam multis titulis deuotionem & subiectionem testificer. Ipsarum erit ex altissimo dignitatum orbe etiam infima & abiectissima benignè respicere.

CON-



CONCLVSIONES THEOLOGICÆ, DE Quadruplici CHRISTI Domini Scientia.

DIVINA.

CVm duplicem intellectum in CHRISTO Domino secundùm rectam & Orthodoxam fidem confiteamur, humanum vnum, diuinum alterum; duplicem quoque in eo scientiam necesse est ponamus, increatã vnam ratione infiniti intellectus ab æterno illi competẽtem, creatam alteram humanam ipsius mentem in tempore assumptam finitè perficientem.

2. Actualis CHRISTI Dei Cognitio & si realiter identificetur cùm Diuina essentia, non est tamen ratio formalis constitutiua ipsius, sed secundùm no-

ſtrum modum intelligendi ſubit rationem proprietatis illam conſequentis.

3. Increta Scientia cognoſcere CHRISTVM Dominum propriè ac diſtinctè non ſolùm ſeipſum, ac ea quæ cum ipſo ſunt idem, ſed etiam creaturas euidens eſt lumine naturæ: ita tamen vt ſi rigorosè loquamur hæ nequeant dici terminus illius.

4. Dum CHRISTVS Dominus creaturas in ſeipſo intuetur, id conſequitur per ſuam eſſentiam; non quidem tanquam per Medium quod Obiectiuum, & prius cognitum; ſed tanquam per medium quo & ſimul perceptum, id eſt vt per Speciem impreſſam, & verbum.

5. Licet ſcientia Dei determinata per efficacem volitionem ſit cauſa rerum omnium, quæ ſunt, erunt, vel fuerunt; ſecundum tamen rectum concipiendi modum eſſe poſsibile præcedit ſcientiā ſimplicis intelligentiæ, ſicut & eſſe futurum ſcientiam viſionis.

6. Omnia præſentia, præterita, futura, poſsibilia, implicantia, ſingularia, vniuerſalia, finita, infinita tam creata quam increata, bona, mala, neceſſaria, contingentia, abſoluta, conditionata Diuinus CHRISTI intellectus adeo clariſsimè perluſtrauit vt nullum coniecturæ vel dubitioni locum reliquerit: non

non quidem per præſentiam ipſorum ab æterno in æternitate, quam omnino negamus, ſed per eſſe determinatum quod habent, vel cuius ſunt capacia.

7. Cùm in creata CHRISTI mens nequeat incertum decernere, ſtatuenda eſt in ipſa conditionata quædam ſcientia, qua ante efficax decretum certiſſimè præcognouit quid quocunq; poſito tam à cauſis neceſſarijs, quam à liberis futurum eſſet.

8. Infallibilis ac invariabilis CHRISTI notitia, qua ab æterno omnia præcognouit, adeo benignè ſe gerit cum rerum ctõingentia & noſtro libero arbitrio, vt nullam illis inferat abſolutam neceſsitatẽ.

BEATA.

INter ſcientias creatas, quibus exornata eſt anima CHRISTI, principem locum obtinet viſio beatifica, quà à primo inſtanti creationis ſuæ non obſtante mortali corpore mirifice reſplendet.

2. Principia claræ intuitionis Dei à CHRISTO Domino de facto ſunt eſſentia diuina concurrens per modum ſpeciei impreſſæ, & intellectus ſupernaturali lumine illuſtratus: de poſsibili tamen potuit diuinitus effici ſpecies impreſſa Dei, quæ locum eſſentiæ ſuppleret; quamuis nequiuerit effici vlla materialis

terialis potentia quæ vices intellectus ſuſtineret.

3. Lumen gloriæ non poteſt eſſe cõnaturale menti creatæ Chriſti, nec eſt ipſi ita ad intuitionem diuinam neceſſarium, vt ſine illo per alium effectiuum Dei concurſum in actum eius nequeat prodire.

4. CHRISTVS Dominus & ſi ita videat omnia formaliter in ſua eſſentia diuina exiſtentia, vt nulla vi vnum abſque altero aſpicere valeat, non tamen videt, nec videre poteſt omnia poſsibilia. Nec enim cõſuam diuinam naturam per intellectum creatum cõprehendit; & ob id eius viſio eſt eiuſdem ſpeciei cum viſionibus cæterorum beatorum.

5. Hoc tamen non obſtante cernit cuncta quæ omnes beati ſimul, & quæ DEVS decreuit circa creaturas, vniuerſa quæ in ſcientia viſionis Dei continẽtur, cogitiones & ſecreta cordium quorumlibet beatorum, & etiam ſecreta cordis Dei.

6. Quas verò creaturas in ſua increata eſſentia intuetur, eas videt in illa vt in obiecto viſo, quo ad rationes particulares indiuiduas, & quo ad eſſe futurum, & quo ad eſſe actualis exiſtentiæ.

7. Quod autem hanc potius quam illã creaturam conſpiciat, nec prouenit ex diuerſitate indiuiduali luminis gloriæ, nec ex maiori vel minori eiuſdem intenſione, ſed ex eſſentia æterna diuerſimodè con-

currente

currente ex parte obiecti.

8. Omnia prædicta quæ CHRISTVS intuetur, siue sint necessaria, siue contingentia, sine vlla variatione à principio beatitudinis aspicit, etiamsi multa post longum temporis decursum sint euentura.

INFVSA.

1. Cum CHRISTVS Dominus constitutus sit Caput hominum & Angelorum d,ecuit vt non solum in verbo, sed etiam in proprio genere altiori modò res cognosceret quam Angeli, ac proinde vt præter scientiam, beatam esset in illo scientia infusa.

2. Lumine infuso cognouit Christus quidditatiuè & intuitiuè omnes res naturales, & supernaturales creatas, cogitationes cordium, actus liberos existentes, præteritos futuros, & cætera contingentia, quæ per se primo à creata voluntate eueniunt; illa vero quæ fiunt à solo Deo, nouit tantum abstractiuè per euidentiam Dei testificantis.

3. Percepit præterea vi eiusdem luminis Deum vt vnum, attributa essentialia solum sciẽtia, quia seu à posteriori, quatenus per creaturas cognosci possunt; & Trinitatem Personarũ quo ad an est, magis distinctè & expresse, quàm à viatore per fidẽ cognoscatur.

4. Quod non ita intelligẽdum est quasi vno actu hæc omnia attingeret, aut simul singula cõsideraret, sed quod à principio creationis suæ eius intellectus semper fuerit in aliquo actu 2do cognitionis infusę, per transitum ab vno ad alterum, more Angelorum.

5. Species inditæ CHRISTI Domini supernaturales fuerunt, vt in perfectione, ita & in vniuersitate, maiores speciebus angelicis; per eas ferebatur eius mens in sua obiecta directè, & absq; impedimento sensuum, & corporis corruptibilis.

6. Præter Species intelligibiles infusas cõcurrentes ex parte obiecti, necessarius fuit intellectui Christi aliquis habitus per se infusus, eleuans ipsum ad cognitiones infusas eliciendas.

7. Lumen prædictæ infusæ notitiæ cum habeat diuersum obiectum formale ab obiecto formali luminis gloriæ, ac attingat res in seipsas per proprias species, & non quatenus per diuinam essentiam manifestantur, non tantum specie, sed etiam realiter distinguitur ab illo.

8. Probabilius est habitũ infusum Christi non vnũ, sed plures simplices qualitates constituere: imò tot numero quot sunt species intelligibiles completæ; ita vt cuilibet speciei adæquate sumptę proprius respondeat habitus.

A C

ACQVISITA.

QVoniam in Christo est natura humana cũ omni perfectione & proprietate illi cōnaturali, debuit quoq; in eo poni scientia cæteris hominibus naturales, vulgo dicta aquisita, vt per eam eliceret actus naturales certos, veros, & euidentes.

2. Per præfatam scientiam cognouit Christus omnes res naturales, ea perfectione, euidentia, & certitudine, qua ab anima separata secundum merum naturalē statum spectata naturaliter attingi possunt.

3. Et non obstante statu viæ, eiusdem beneficio etiam dum nobiscum degeret seipsum contemplatus est ac intuitus, eo pacto, quo anima separata, vel Angelus suam substantiam naturaliter intuetur.

4. Cæteras quoq; separatas Substantias pro tunc adhuc percepit, eo naturali modo qua ab animabus seiunctis percipi & attingi possunt.

4. Et quamuis eius anima in corpore mortali degeret, non tamen fuit illi adeo subiecta, vt in suis actibus naturalis scientię necessario ab illo depēderet. Quare non fuit necessarium ipsam agere cum conuersione ad phantasmata.

6. Naturalem scientiam, quæ est cognitio euidens conclusionis ex proprijs principijs naturali lu-

mine euidentibus non est Christus per disciplinam assecutus, sed per infusionem à Deo à principio cõceptionis cum speciebus ad eius vsum necessarijs perfectissimè sortitus.

7. Cum experimentalis cognitio fundetur in rebus sensu perceptis, eique repugnet infundi, non habuit illam CHRISTVS Dominus à primordio extemporanei ortus sui, sed temporis successu experimento eam acquisiuit, ac in illa profecit.

8. Ex hoc tamen non sequitur illum sub ferula præceptoris siue hominis, siue Angeli aliquid didicisse. Nam cum futurus esset supremus præceptor, ac præcipuus diuinorum secretorum annunciator, decuit vt nihil ab hominibus & Angelis acciperet.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0009038

Koślinski Alexandri
Conclusiones theologicae de
quadruplici scientia Christi.